

Pharmacol.

gen.

600

~~Medic. 3977.~~

Pharmac. 55.

Umbrā
REDIVIVI
ZWELFERI,

ſeu
EXTEMPORANEUM
RESPONSUM

ad
Extravagans Apologema

cujusdam

RAPHAELIS SCHMUZEN

Medici Neoburgici,

contra

Clarissimum



D. JOANNEM ZWELFER,

Auguſtani Diſpenſatorii

Correctorem,

editum authore

FRIDERICO MÜLLER

à LÖWENSTEIN,

Interioris Senatūs Civici Viennens. ad

Signum Aurei Cervi ibidem

Pharmacopœo.

NORIBERGÆ,

Sumptibus Michaelis & Joh. Friderici

Enderorum. 1671.



ILLUSTRISSIMO

& EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

RAYMVNDO

COMITI in MONTECUCULI,
Libero Baroni in Hoheneegg &
Osterberg, Aurei Velleris Equiti,
Sac. Cæs. Majest. Consiliario In-
timo, Camerario, Bellici Consilii
Præsidi, Archistratego, Campi-
Marschalcho, Supremo Provinci-
arum, Regnorum, Auliciq; Ar-
mamentarii Præfecto, Colonel-
lo, & Confiniorum Jauri-
nensium Gene-
rali;

*Domino ac Mecenati suo
Gratiosissimo.*

Pri-

PRimum nondum abstersimus
luctum , COMES ILLU-
STRISSIME & EXCELLEN-
TISSIME , quo desiderato Zwelfe-
ro, in aetate erepto funere , paren-
tavimus, & en ! tristiora succedunt
fata. Vitam illi eripuerit Su-
peri; posthumæ famæ insidian-
tur antagonistæ pessimi, & toti-
dem monstra Philosophi. Ausus
quippe est inauspicatæ memo-
riæ Schmuzius, Medicorum quis-
piam, crudelissimâ lanienâ ea,
quæ amnestia cicatrice obducta
vulnera refricare, & perennem
Zwelferi adorem, famæq;
immortalitatem, famosissimo
Scripto, & infami stylo tumu-
lare. Sed tuum reperit hoc
monstrum Herculem, unde, par-
tâ feliciter victoriâ, trophæa ad
Tuos

Tuos humili obsequio reclino
pedes: Tibi, inquam, hanc inscri-
bo Venerabundus victoriam, ut-
pote qui Sapientissimus ævi no-
stri Magnas, omnibus scientiis
eminentissimum Zwelferum
raro Exemplo dilexisti, luxisti.
Vive in ævum, Sapientiâ, Mar-
te, & Consilio universæ Europæ
Notissime Heros, & Trophæa
tua ad emorientis Oceani oras
extendito. Ita demissimè vo-
vet

*ILLUSTRISS. & EX-
CELLENTISS. DO-
MINATIONIS TUÆ*

humillimus
FRIDERICUS MÜLLER
â Lövvenstein.

A 3

Ami-



Amice Lector:

HAbes hoc brevi Apologemate memorabile, & constantis amicitiae (quam nec mors divellit si sincera fuit) exemplar. Defendo à turpissimis mendaciis, insanis probris, & temeraria loquacitate abjectissimi cujusdam hominis, nomine Schmuzen, Medici, etiam dum respondere illi fas non est, Zuvelferum. Sed unde sententiarum divortia: unde in Zuvelferum odia quæris? Quia Vir bonus, felix in Praxi, notissimus scriptis; & laudatissimus Augustanorum Reformator. Ut autem Zuvelferum everterent, subornaverunt, stimulârunt, continuo pupugerunt

gerunt Schmuzium, donec tandem
prodiret, & quosdam sarcasmos, o-
lidos Germanismos, mixtos solœcti-
smos typo daret, quos passim allego.
Hæc interim minima boni consule:
sequentur (si diis placitum) Medi-
co & Philosopho digna, in Zuvel fe-
ro Redivivo & glorioso, quem tibi
destino. Vale, ac, meo exemplo,
amicum ad aras usque, & ultra, si
fata velint, diligit.



A 4

Ad

Ad
Zwelferi Manes.

ZWELFERE:

Longum magnis virtutibus
ævum non audent promittere
fata; nec possunt, si quæ maturu-
cre, profanis astra diu committe-
re terris.

Quan-



Quantum am-
plissimam famam
tuam, quæ tibi, ut-
pote viro sapienti-
am & artes profes-
so, seni venerabi-
li, triginta annorum

archiatro, Ducis ac Principis Consiliario,
jure optimo debebatur, velut atro inducto
peplo & sirmate obscuraveris, dum Apolo-
giam tuam, velut totidem exorcismos ede-
res, quibus desideratum Zwelferum, feli-
citer jam emenso Lethe, & inter Beato-
rum agmina triumphantem inquietares;
verba non suppetunt, quibus impræsentia-
rum ad te perscribam. Ignoras, an simu-
las, Schmuzen, quòd triennium propedi-
em elapsum, quòd amicissimum Zwelfe-
rum nostrum tristi pompâ, pullato habitu,
inter lugubres camparum sonos, mæstis
parentantes suspiriis extulerimus, urnam
& Præficam constituentibus? Sic fors tulit,

A s obiit

obiit Zwelferus ! corpus , gloriosis at-
 tritum laboribus , Divi Stephani, Proto-
 martyris, tenet Basilica , & , ut nosse ,
 quis esset Zwelferus , ex socio , ad Gui-
 lielmum Mannagettam , Magnificum
 illum tot Cæsarum Archiatrum , apposi-
 tus est. Vah ! duo Medicorum lumina
 obscurus claudit tumulus. Quem igi-
 tur persequeris , Schmuzen ? Virum ex-
 animem & umbram. Cui vindicias
 tuas inscribis ? Sacris Zwelferi mani-
 bus , & amico. Ipse enim tibi , ac cun-
 ctis malignantibus syncerissime recon-
 ciliatus , præmissâ generali vitæ exo-
 mologesi , inter piissima ad Repempto-
 rem nostrum suspiria , Catholico ritu fe-
 licissime expiravit , etiam pro inimicis
 deprecatus. Non me igitur recens e-
 dita Apologia tua in fermentum egerat ,
 dum legerem , licet acerrima ; quin po-
 tiùs suspirare fecerat , illud Homeri ru-
 minando : quoniam prostrato Leoni
 passim insultent ignobiles feræ , & , lapsâ
 cedro , obvius quisq; legat de grege fructûs.
 Turpis proinde , & ingloria victoria D.
 Schmuzen , mortuis insultare , ne dicam
 sævire , ipsis melioris notæ detestanda
 feris ,

•

feris , quæ desinunt prostratos laniare. Matura proinde magis consilia, inquiete Senex , cana tibi modestia , & senilis gravitas suggerere debebat , ne tam acerba , indigesta , falsissima , indigna , tantoque viro difformia in Zwilferum e-deres ; & quidem potiori jure , cum & tibi jam Charon obviam factus , ad cymbam te invitet , ac mors , quæ quidem & juvenibus in insidiis , senibus tamen in postibus est , propediem præstoletur. Jus *Talionis* forsan allegas ? Tu prior turpissimè læsisti. Stagiritam , lib. I. ad Theodect. c. 9 citas : *malum pro malo reddere justum , & justum omne laudabile* ? Sed sapientissimum Scholiasten audi : *Paganorum more , & jure gentilium , non Christiano*. Quamquam & ipsis Gentilibus , in caligine palpantibus , sacrum semper fuerit , de mortuis bene loqui , & defunctorum corpora superstizioso venerari libamine , nescio quid divinitatis sacratis Manibus attribuendo. Verùm licet ad nos veneris in turbine & aquilone , in fulgetris & fulmine , in pharetrâ & jaculis , &

4

& universâ ad vindicias instructus pa-
noplîâ :dicere volo, licet Apologiam tu-
am, plenam acerrimis convitiis, stylo ad
probra composito, satyrâque olentem
contra D. Zwelferum, jam in regione vi-
vorum municipem, ad nos transmiseris; ne-
q; deessent fustes & arma, quibus tibi hu-
manissimo hospitem amicissimè obviare-
mus: complacuit tamen nobis, de Christiana-
nâ potiùs gloriari modestiâ, quàm insanis
turpissimisq; tecû ad ravim usq; vociferari
scommatibus. Æqui proinde bonique
consulet literatus orbis, si desiderata ami-
corum Zwelferi | cohors (de quâ me ad
aras futurum usq; profiteor, palamque
contestor) inter limites Christianæ licitæ-
que tutelæ, tantum Virum, famamque ejus
illibatam ac æternitate dignissimã, â decu-
manis hisce injuriis, minùs consideratè,
ne dicam sceleratè, per Schmuzen prælo
publico illatis, sollicitè providèq; vin-
dicârit. Industriosum autem argumen-
tosæ apis aggrediar opus, & ex eodem
germine, unde toxica Schmuzius, pro
Zwelfero apparâbo nectar; ex eadem
famosi Pasquinatis erectâ | contra Zwel-
ferum statuâ, æterna illi, intra foliorum
aliquot angustias, reponam monumenta,
elogia

§
elogia & trophæa, non quidem marmori
porphyretico, sed amicorum, sed sapien-
tum Europæ virorum animis, caractere
adamantino inscribenda.

Ad apologiam igitur tuam, Doctor
Schmuzen, descendo; cujus paginae cum
nullis fuerint discriminatae numeris, pro
arcendâ confusione, in notas distinxi nu-
mericas. In prodromo igitur proœmi-
ali, & querula prosphonefi tuâ, fol. 2. & 3.
hæc leguntur:

*Diu anceps ratiocinabar, utrum
homini analphabeto, vagabundo, lu-
rido, & ludicro, exuli domino, pa-
triâ, & domo respondendum esset &c
Vicit me tandem rei de qua agitur
magnitudo, authoritas, & virorum
doctissimorum, & de republica philo-
sophico medicâ optimè meritorum
indefessus stimulandi animus, ut per-
citissimum, furiosum, & caniculare
illud œstrum, asilum, & crabronem,
de flagrantissimo & adoratissimo
Hip-*

Hippo-Galenico horto, (qui Dispensatorium Augustanum est) paribus flabris, flabellis, & flagellis (Flögelnschen) abigerem, quibus hoc brevi & rudi apologiâ morem gessi. &c. Hic est introitus senilis & Schmuzianæ pietatis.

Proh! quàm cum archipelago exæstuas & procellas jadis, archiater! Sed præter spumas nobis & littori affers nihil. Et mihi, cum selectissimis Zwelferi amicis consilium ingresso, num è re foret, ad tam famosum rescriptum, omniq̃ infamiâ dignissimum, responsum meditari, nutabant vota & rationes, donec momentosa argumenta quædam succinctas hæc vindicias, inculto licet stylo & operâ tumultuariâ, in redhostimentum tanto viro extorsêre: et *Primò* quidem, ne tuo, utpote inveterati & decrepiti Senis, exemplo & scandalo lubrica & incauta juvenus pelliceretur, sibiq̃e perditè deinceps persuaderet, licere in defunctorum posthumam famam impunè sævire, divinam naturæque legem ostentui habendo. *Secundò* ne te, ac clientes tuos Augustanos, tam turpis victoria

ria

ria & tutela, in ipsis præcordiis, aut etiam medullis, titillaret, perperam vobis persuadendo, in Bavaria tantum, aut Suevia propagari Lacænas, quæ sapientes pariunt filios; reliquis autem per Europam pro capite infixas totidem esse cucurbitas, & fungos procreari. *Tertiò* ut innocui sapientissimiq; viri (qualem fuisse Zwelferum universa testabitur Europa) illibata constansq; fama, velut olim fulgentissima illa Cannopico Nili Ostio, Græcorum accensa Pharos, inter allidentes malè æmulantium fluctûs immobilis tutaq; perennaret, resplendendo sibi, lucendo posteris. Actionem igitur, D. Schmuzen, Collegii Augustani, quod se tuæ concredidit tutelæ, restituis. Aberrastis, optimi Viri: Vestrum claudicabit hinc & hinc Jus. Nam si bona causa bono eget Advocato, L. *si superatus*, quomodo vestras tutabitur partes ille, qui, omnem transgressus æquitatem, plurimorum ipse reus, & insignis, ad tribunal propediem raptandus? *Frustra namq; auxilium legis implorat, qui committit in eam.* Medicus curet primò se ipsum: et Jurisperitus non sit obætatus, alienisq; gravatus, ut vultum & præsentiam judicis non

non exhorreat. Pro horto igitur Hippocratico-Galenico litigandum, pro Dispensatorio Augustanorum. Sed jampridem D. Zwelfero in hypothecam cessit, funditus illum, ante aÑos sedecim, & ultra evertit, de novo erexit, ac sumptibus & industriâ suâ de gregario pomærio Regium, Hermetico-Galenicum effecit hortum & Dispensatorium Zwelferianum. Verùm cum de facto pendeat lis, & aliunde non affligant nos muscæ & cyniphes, D. Shmuzio, *flabellis & flagris armato* (notis, qui flagella gerant?) non gravemur continuare processum.

Tria adstruit in proœmiali: Primò captat benevolentiam & ab humilitate auspiciatur, dum se *hoc brevi & rudi apologiâ morem gessisse* sapientibus fatetur. Verissimum adstruis. Tam enim rudis est, indocta, simplex, & turpis apologia tua, ut ab incunabulis, & quoad Spiro, monstrosolum & incultum magis legere non evenerit. Nulla phrasis: puerilis & mendosa Latinitas: nulla acumina, nisi dum sine melle (& sale) cum vespis infigis spicula, & pungis ut Erynaceus: non videris esse custos Augustani Pomærii, sed potiùs Epicuri de grege porcus; sic furiosè
omnia

omnia Sus deque evertis. Propriæ, tate-
or, non confido censuræ: adscribam fra-
gmentum Epistolæ magni cujusdam Viri,
dum hanc Schmuzii Apologiam relegen-
dam primus transmitteret:

*Mirandum, Sapientissime D.
Müllere, amice honorande, quòd hoc
tam illustri & doctissimo seculo
scriptum tam triviale, exsuccum,
Schmucidum & rancidum, stylo cu-
linario & lurido, quale Apologia
præsens est, prælum commaculârit
& typum. Non habet bonus seni-
culus (extra se) quòd inde extol-
latur, habet sat humiles metapho-
ras, decrepitas transitiones, lacerata in-
cisa, paucos tropos, & nullam elegan-
tiam: hoc unum in eo laudabile ve-
nit, quòd ingenia nentiquã fatiget,
est clarus & lymphidus, instar cloaca,
& ut omnium consuleret genis &*

B captus

captui, sat crassos immiscuit Germanismos & Hellenismos, ut patebit Lectori. Verum: contraria juxta se posita magis elucescunt, & hinc emergit sapientia Zwelferiana. Parce populariter scribenti, & tuum deprome animum pariter & sententiam. Ego huic subscribo sententiæ; talia regessit in Zwelferum, qualia solent cerevesiâ & farciminibus ingurgitati.

Secundò notorios facit Complices. *Vicit me Virorum doctissimorum in defessus stimulandi animus.* Quicumque illi sint, Antagonistæ pessimi, sapientiæ non merentur insignia. Nullus hec excusat susurro, nec levis & distinctus à consiliis socius & Collega, qui tibi ad malum auriculas vellicavit. Non eget Vir sapiens, & senio venerandus, uti tu, D. Shmuzen, agasone, *qui eum indefessus stimulet*; qui oculum prudentem & lucidum in fronte gestant, momentis rationum necessitantur, & pro amissi habent cum Philosophis discursum, & demonstrationem,

tionem, non lubricas & ludicras hortatiunculas, incentiva, ac fomenta. Non judico in præfenti consentientes tuos; judicabit Dominus, in lucernis scrutaturus. Habes legem intra viscera tua: *diliges proximum tuum sicut te metipsum.*

Tertiò D. Zwelferum *hominem analphabetum, exulem Domino, patria & domo* intitulat. An Zwelferus literatus fuerit, D. Schmuzen, scripta ipsius doctissima, & Apologia tibi consecrata testatum facient. Exulasse autem tantum Virum, falsissimum est. Stulti exulant; Viri sapientes peregrinantur. Nemo acceptus, aut vix Propheta in patria: municipes tuos Hirschavienses, quorum tibi in Apologia jugis memoria, maturius manumisit, factus Austriacæ humanitatis incola, gloriosus famâ Viennæ, opibus affluens; & post fata omnibus sui relicto desiderio, extra patriam cum Ulysse id reperit, quod domi suæ neūtiquam sponsondere Penates.

Transeo ad *terminos Juris* tui, & injuriosissimos cavillos, & quia abominanda

ñanda materies est , pleraque nefanda
 lcommata , per decursum Apologiæ
 Schmuzianæ reperta , in unum congeram
 fasciculum : horret profectò ingenua
 ñdoles , ne dicam Christiana dignitas ,
 ejusmodi turpitudines fufiùs pertra-
 ctare.

In *Prooemio* Zwelferus ist *vaga-
 bundus, Ardelio, luridus, & ludicrus,
 asilus & crabro.*

*Pag 6. Sycophantam vocat, La-
 tronem, Cacodæmonem, Histrionem,
 & infrà intitulatur Satyrus, Fur, Thra-
 so, Scurra; Lippa, Fumi vendub, Ca-
 villator, Criminator, Cornutus, Su-
 furro, Agyrta, Perverfor, Detractor,
 Momus, novus Apollo, Deus, Sus,
 Corrector, Reformator, &c fol 34.
 Perfectiß. Spagyricus, scil. Mastix,
 Augustani Carbonarius:: fol. 35. spur-
 cissima Harpia, Hirschaviensis fur-
 tifer, graculus, &c. Plura pertranseo,
 nec*

nec allego. Et hæc est senilis gravitas,
& cana pietas, ad quam, velut ideam &
prototypon, institui debet, & enutrir
tenera juvenus. *Consurge igitur,* *Levit. 21.*

honora Personam senis. Nunc tibi
adstipulor, Schneidvine, Vir Consultissi-
me, *quoniam senis umbra plus valet* *Cl. feud.*
quàm elegantia vel gladius juvenis: *p. 3. N.*

& Mascardo glossanti: *Qui dixerit, se-* *71.*
nes non esse prudentiores juveni- *D. prob.*
bus, is per quindecim testes probare *fol. 3.*

debebit. Arbitrio universæ Europæ te- *1295. N. 8.*

statum faciam, hæc non decere senilem
prudentiam, nec Apologiam hanc esse,
aut licitum tutelæ moderamen, quod,
juxta Barthol. *causam defensionis, non*

vindicta respicit; sed infamem potius
turpemque libellum, in juvenibus fla-
gris lorisque dignum; in senibus nun-
quam satis animadvertendum. Sed
hæc non inquietabunt piissimos Zwel-
feri manes, extra pulverem & agonem
ad bravium evocatos: minùs eclipsa-
bunt diffusissimum per Europam famæ

B 3.

jubar.

jubar : oportet namq; sapientiam ab
 insipientibus feriri : ostendit enim
 lingua meliorem esse se quem carpit.

Optima quæque cum tincis arrodunt
 mures, virtutibusque, non vitiis, æmula
 invidia. Reconde igitur in sinum tu-
 um & sorbeto regeſta in tantum Virum
 crimina, & olidam cramben : nos tecum
 convitiis non certamus ; nec paria tibi
 reddo. Novi enim cum Seneca : *quòd
 convitiatori non respondere, sit con-
 vitium.* Mihi pro ſcuto erit ſermonis
 temperamentum ; & cum Pythagora vin-
 dicabo, prudenter ſubticendo. Interim
 hoc veriffimum eſt, quòd virtus tua, Zwel-
 fere, magna non fuiſſet, ſi magnis calumni-
 atoribus caruiſſet.

*Pagina 9. carpit Scripta Zwelferiana,
 & ejusdem nobile institutum : folio 29.
 ait : Quis te Dearum infernali-
 um ; ad tam immane & audax re-
 formandi & abdicandi Pharmaco-
 pœam Auguſtana furia vit facinus.
 Luxuriantes errorum ſtolones, & per
 totum Auguſtanum Diſpensatorium, ve-
 lut*

lut infame lolium, & Zizaniæ repentes
cum mendis defectûs, id exquirebant.

Pagina 25. illudit sequentibus: *Modo*

*Zwelferus imperat & ut novus
Apollo & Gymnasiarcha adorari*

*vult, & timidi quidam fungi, sale fatuo
conspersi (instar Idoli) illum vene-*

rantur. Væ! tibi Zwelfere, nove

Dens, quamvis Plutonis compedi-

bus & cerberi Custodis infernalis

catenis, solio affixus & constrictus

esses, actum erit de te, frustra Testi-

monia emendicata & censuras im-

plorabis, Hinunter mit dix/ ic.

Hinc illæ lachrymæ, & odia Vatiniana,

mi Schmuzen: quia D. Zwelferus, felicitis

memoriæ, acris ingenii Vir, & ab adole-

scencia in disquirendis scientiis sollicitus, te,

cum Augustanis, reformavit, quid exæstu-

as & ringeris? Cur invides meliora sapi-

entiæ charismata? Actum agis: jam refor-

mati estis, cusi, recusi, formam debetis

Zwelfero. Et prius solio deturbabitur A-

pollo, omnesque claudentur fabulæ, quàm

Augustani Reformatoris nomen abrogabitur. Eja Zwelfere!

*Semper honos noménque tuum,
laudésq; manebunt.* Vos, Vos, mi D.
Schmuzen, *fungi timidissimi sale fa-
tuo conspersi estis*, quin lepores galeati,
quòd spatio annorum septendecim, quibus
D. Zwelferus Censuram suam contra Dis-
pensatorium Augustanum edidit, ne vel
syllogismum formaveritis, in tutelam
Pharmacopœiæ vestræ, & Zwelfericonfu-
tationem. Timor patrius, & terror Pani-
cus, Hirschaviensis metus, te, cum Collegis,
prohibebat. Stimulum quidem & calcar,
trito illo adagio, ad audendum aliquid, vo-
bis adaidistis: **Gang du vor nan; wir
haben an Zwelfer ein starcken Mann.**
Sed non sufficit: ad arenam venite: dispu-
tate. Subornastis quidem præclaros Viros,
& doctos; de quorum numero D. Takenius,
felix Practicus: sed huic ex asse per Zwel-
ferum factum fatis; & respondebitur mo-
destè expetenti. D. Takeniam æmulari
voluit Vernii Monspeliensis; sed rediit ut
Midas. Proh! tua quasi mihi excidisset
memoria, D. Schmuzen: tu solus & unus,
excentum Fabiis & fabulatoribus, restitu-
isti

isti rem ; tu gentem tuam, unicus athletha,
vindicasti, & ad thermas ac Nymphæum
D. Zwelferum traxisti, impresoque libel-
lo tuo *de thermis Carolobadensibus*,
traduxisti. Sed nescio quo fato, aut sinistra
providentâ, factum, ut prior D. Zwelfe-
rus tibi Lixivium affuderit, cavlumque re-
miserit, non sine faceto júbilo totius Uni-
versitatis, ac Europæ. Verùm, D. Schmu-
zen, præstat reverti, quàm eâdem semper
chordâ oberrare. Si hætenus nil virilita-
tis & gloriæ in vobis fuit, ut collatis sig-
nis cum D. Zwelfero confligeretis; tu pri-
mus macte animo, & audeto: hisce te pro-
voco, & tecum singulos factionis tuæ cito,
& conjuro, ut, si in vobis boni viri chara-
cter & nota, scintilla famæ, & vel mica sa-
lis & prudentiæ, inter limites castigationis
styli & Minervæ remonstretis, primò: D.
Zwelferum, felicitis recordationis, crassos,
palpabiles, & trabales errores vestros malè
revelasse, & minùs debitè in vos animad-
vertisse. Secundo: ut edatis arcana ma-
gis, & saniora remedia (cum hæc *toti-*
dem venena sint, ac Cyræa pocula,
prout nequissimo cavillo perhibueras)
quàm in Regiâ ejusdem Pharmacopœia
continentur. Tertiò: ut tu, D. Schmu-
zen,

B s

zen,

zen, pro Praxi, antea actâ laudabiliter vitâ,
& individuo tuo, tot, tam â famâ, quàm lu-
culentis testimoniis, infallibiles producas
confirmationes, quàm nos pro innocuo
Zwelfero probationes.

His si non fatis feceris postulatis, vel
delegatorum quispiam, proprio jam es sen-
tentiatus silentio, & tibi, utpote convicto,
tritum illud occinemus: D. Schmuzen,
digito compesce labellum. Cæterum:
quòd D. Zwelferum *novum Apollinem*
tua inauguraverit metamorphosis, citra
hyperbolen actum est, & Jovem dicere
poteras, in cujus cerebro renatum Collegi-
um Augustanum, & estis Zwelferi nova
creatura.

Nunc comprehendam reliquas, in A-
pologia passim sparsas, quisquillas, quas
obiter percribrabo. Pag. enim 14. & 15.
miraris Schmuzen: *Cur Zwelferum*
toto orbe decantata auctoritas Au-
gustani Collegii â reformando non
deterruerit. Respondeo: D. Zwel-
ferus semper negavit, D. Augustanos edi-
to Dispensatorio suo sibi conciliasse autho-
ritatem: quin, ut spectabiles deinceps ef-
sent,

sent, demptis erroribus, substitutis
 sanioribus arcanis, suâ Zwelferus effecit
 industriâ. Deinde D. Zwelferus Vir erat
 extra metum positus, cui pro symbolo:
plures timendo, quàm periclitando
periêre. Ulteriùs angit te, D. Schmu-
 zen, cum discipulo illo noto, pretium &
 farrago compositionum, & editæ Regiæ
 Pharmacopœiæ; ut quid perditio hæc:
 & tu ex ipsis es, qui plus oculos, quàm sa-
 nitatem vitamque appetias, ambis, & tu-
 eris? Respondeo: Hæc arcana, & Phar-
 macopœiam, non erectam esse pro illis,
 quibus callum induxit stiva, aut qui calli-
 gono cingunt cothurnos. Regibus & Po-
 tentibus destinavit, quibus primum in vitâ
 & sanitate precium, divitias colentibus
 in vitam & sanitatem tuendam: qui hæc
 Zwelferiana arcana nequit comparare, ab-
 tineat. Ut autem desolatæ pariter ple-
 bi provideret, nec immitiùs eam neg-
 ligeret Augustanum Dispensatorium,
 è quo, velut inculto solo, pleraque an-
 tehâc pullulabant agrestia, feliciter resti-
 tuit in subsidium egestatis. Et quantum
 memini, nemo hæcenus (si tuam eximiam
 cavillandi libidinẽ) hoc reprobavit institu-
 tũ, quòd scilicet Zwelferus Regi & plebi, ur-
 bi & ruri providerit: debem⁹ tributaria hæc
 obse-

obsequia nobiliori sanguini, ut, quos gloriosis incunabulis à vulgo divina segregavit bonitas, eorum quoque exaltatis remediis propagaretur incolumitas. An autem Pharmacopœia Regia, & Vestrum Augustanum, re non differant, judicandum relinquo luscis, & oculis orbis: tu id asseris, fol. 35. *Cur Augustanorum Dispensatorium ad amussim in omnibus sequeris Medicamentorum Classibus? quo ad basim, energiam, & essentiam rerum, nihil penitus corrigis? nisi quòd nigerrima & spurcissima Harpia, aliter & àlter fercula condideris, recondideris, &c. A Tackenio & Vernij circumventus, victus, & oppressus & à plantâ pedis, ad verticem usque capitis infaccatus & suffocatus, &c.* Infallibiliter concludis, D. Schmuzen: me consentiente, aliud non præstitit Zwelferus, quàm, quòd informem massam vestram, & chaos illud, restituit, & formavit, recoctam, insullam nihilominus cramben, & vappam, doctri-

doctrinæ & experientia aromate, sapientia & industria sale, condidit, resalivit, ut ais, ut esset deinceps Augustanum vestrum iuge, per Europam, doctis convivium, & saliares dapes, quod ante hæc, velut insulsam offam & polentam, averfabantur primi Medentium & sapientum. Quòd si igitur, dolare truncum, condire insulla, & effigiare & formare rudem massam, labor reputandus non est, ferias semper egit D. Zwelferus, & peregit nihil. Interim tamen falleris, quòd D. Zwelferus tam jejunus hospes fuerit, quin D. Augustanis convivis propria de quadrâ non exhibuerit fercula. Testatur id Essentia ejus purgans, Sal essentialis efficacissimus, Spiritus Veneris & Menstruum nobile, Manna illius metallorum, Crocus Solis purpureus, Magnesiæ rubræ arcanum, Rubinus Carollifatus, Arcanum omnium hæmorrhagiarum, nec non omnia ejus Magisteria solubilia: taceo reliqua, de Galeni penu Regias sumptas Confectiones, Liquores, Essentias (quæ forsitan redivivus Sol, Zwelferus, ortu suo dilucidabit) & denique elegantem illam simul, & utilissimam, extemporanea Ordinandi dexteritatem, quæ in præstanti hoc Medico, Zwelfero, non minus demiranda, quam fuerit celebranda. A Vernio autem, &
 Tac.

Tackenio, *circumventum fuisse*, verum probas: sed non frustra jacitur rete ante oculos pennatorum; & vix muscæ venantur aquilas. Infaccatum autem fuisse, & victum, ementiens figura est, sonoro dignissima sibilo. Lege terfissimas Zwelferi, contra præcitatos, Apologias; & subridebis, ac desines, hæc Augustanorum idola mendaci amplius veneratione recolere.

Pagina 31. Doctoratûs Zwelferiani gradum in controversiam trahis: De Doctoris medici valde dubito germanico gradu, nam in septentrionalibus Chymia & Spagyrea hortis, laurus vix unquam viruit, minùs Doctoratûs folia tulit, ob continuas mercuriales & antimoniales pruinas & nebulas, fortassis Italia, ob Phœbum benigniorem & proximiorum potuit, quæ sæpissimè, italica folia, cum auro germanico commutat, juxta illud tritum, Nos accipimus pecunios & remittimus vestros asinos, D. Schmuzen. Quid est Philosophiæ

phiæ & Medicinæ Doctor? An ille, quem
 rationis delira rotant entia, & phasmata?
 Qui inquirit, an id, quod factum, infectum
 fieri nequeat? Qui universales tractat nu-
 gas: in continuo terit tempus: infiniti
 quærit mensuram? Qui Ubi nullibi repe-
 rit? Qui cum Archimede spatia quærit
 imaginaria? &c. præstantissimos interim
 naturæ recessûs non penetrat, formales re-
 rum negligit proprietates, & (cum Hel-
 mont. loquor) nescit, cur caudam iratus
 Leo; ablandiens autem canis erigat, &
 rotet? Non tantùm sunt speculanda pro-
 blemata Medico: nec discursûs volunt
 Ægri; sed curam & sanitatem minimè
 incuriam. Scire gestis, an fuerit Doctor
 D. Zwelferus? Ad Viennam, ubi annis
 triginta, ferè inter quotidianas Palladis ve-
 litationes, & amica Hippocratis jurgia, se-
 veras Consultationes, cursum consumma-
 vit & vitam. Nulli detraxerim Univer-
 sitati; quas omnes veneror celebrique:
 severiorem interim nullibi crediderim ce-
 lebrari Consiliorum morem, quàm in anti-
 quissima Viennensi. Subticeo enim con-
 summatissimos Archiatros, Professores, &
 Practicos eminentissimos: ipsa doctissi-
 morum Magnatum (totidem Doctoratos
 dixeris) illustris præsentia & arbitrium
 faces-

faceffit quandoque negotium. Plures
 proinde felicissimas Curas & Observatio-
 nes scribendas absolvit Zwelferus, quàm
 tu forsan prelegisti. Et si verum, uti veris-
 simum, quod Tacitus inquit: *ut multa*
Regem supplicia; sic crebra Medi-
cum de decorant funera; felicissimus
 Practicus & Doctor Zwelferus fuit, cui
 innumeri vitam acceptam referunt; cujus
 obitum sicis nemo tulit oculis. Tu, mi
 D. Schmuzen, insignis Doctor es, argute
 consultas, primus Medicorum (fors solus
 Neoburgi servis) celebraris, jam triginta
 annis antiquam cantilenam occinis, sem-
 per Joannes eadem semitâ, bonus gradari-
 us incedis, nil te angunt Neoterici, Proble-
 mata, Consilia. Quiesce, requiesce sub
 hedera & molli otio; nemo lividus invi-
 debit; peregrinæ saltem te non tangant
 curæ. Ne tamen ulterius pusillus hæsi-
 tes: Patavium, scias, Athenoris urbs,
 Emporium Sapientum, Zwelfero Lau-
 rum imposuit, & dedit Epomiden. In-
 auguratus Doctor, dum innumeros ibi-
 dem haberet Discipulos, pro eadem Lau-
 reâ Candidatos, Publicus Chymix Pro-
 fessor, Italiam petiit, non tam ut disce-
 ret, quàm ut doceret: rediit in Austriam,
 nidum

nidum Aquilæ habitaculum elegit, Viennæ, ditatus opibus, famâ gloriosus, prole foecundus, magnificâ ædilitate erectis ædibus, in Domino requievit. Quæ de cambio Italico scripsisti: *asinos nimirum nobis Patavio remitti*; mei non est fori disputare: tu videris, cur Inclytæ Nationi illi tam notorio imponas mendacio. Orbis loquimur, quæ Patavinis Theoria, Anatomia, item Botanices experientia. Habent, habueruntq; Reges & Monarchi Archiatros & Patavii inauguratos. De consueto quidem generosos equos instruendos dimittimus, jumenta & asinos domi detinemus, clitellis & angariis destinamus. Cur tu domi remanseris, ego scrutari nolo, mi Schmuzen. Cæterum tibi assentior, asinina crebrò in Italiam à vobis dimitti ingenia, petasonibus & cerevisiâ tumida, qui tritorium felicius versarent, quam Galenum: hos per pontem cautè ducunt Patavini: sequitur enim vertigo prærupta videntes, vobisque remittunt ludicro honestatos palliastro.

Censuram Viennensis Universitatis;
pag. 14. malignè & inscitè vellicas, &

C

pueri-

puerile quoddam Putare vocas. Pa-
 gina 15. ais: Eandem & simile con-
 ditionem habet diploma Cæsareum,
 Prognosticorum Kalendariorum o-
 mnium Commune & c. fol. 19. temera-
 riè audes nugax aliud & contradictorium
 diploma effingere, in contemptum tanti
 Monarchæ, ac Cæsaris. Fol. 17. & 19.
 testimonia sapientum, Zwelfero ultrò
 oblata, rejicis hisce formalibus: Testi-
 monia Doctorum Medicorum, à se-
 ptentrione usq; & ab aliis etiã er-
 ra angulis empta partim, partim e-
 mendicata, catenus in vigore, & ta-
 liter aestimanda & habenda sunt,
 quatenus tui ausus & fortassis eti-
 am incertæ Chymie & fidei sunt
 æmulatores, & eadem in naufragii
 Cymba tecum fluctuant, vel in officii-
 na vulcani ad extremam usque ma-
 ciem torrent, infumantur cremantur
 que, & c. Quòd

Quòd censuram Universitatis Vi-
 ennensis, cujus te inutile membrum es-
 se, in Apologiâ tuâ gloriaris, rejicis,
 non demiror: nosti viperæ genium, &
 Arcadum stoliditatem, qui nec matribus
 indulgent, quin recalcitrent. Conni-
 vemus etiamnum. Verùm, quòd tan-
 tæ Majestatis augustum diploma in ca-
 chinnum trahis, habesque ostentui,
 obstupefco temeritatem, & contuma-
 cem audaciam. D. Schmuzen, non liti-
 gamus apud vos Hirschaviæ, Principi-
 bus nemo impunè illudit viris, longas
 cum gestent manûs. Cenfores, & aula
 Cæsarea, oculatas habent manûs in Au-
 stria, credunt, quod vident; subscribunt illi,
 quod probant. Quantum autem ad stoli-
 dam illam Propositionem: nimirum Cæ-
 sareum diploma esse *commune illud Ka-*
lendariorum, respondeo: concedendo
 totum. Zwelferus enim edidit Ephe-
 merides, & Scholia in Augustanum Ca-
 lendarium: proh! quantas cerebri vo-
 bis prognosticatus eclipses, & quàm
 dextrè Augustano Collegio erexit ho-
 roscopos! Nec feliciùs Argolus & Ar-
 gus. Testimonia autem, & Censuras,
 quin docta ultrò oblata elogia & gratu-
 latio

ationes à sapientibus viris, D. Zwelfero quod concernit, quæ apologetico tuo sarcasmo derides: non patitur difficultatem. Tu unus multos non æstimas: & innumeri te derident unum. *In dubio, mi Schmuzen, magis creditur duobus affirmantibus, quàm mille negantibus.* Tota jam Europa applaudit doctrinæ Zwelferianæ: jam inter classici citatur, & colitur. Lege Hispanos, Italos, Germanos Neotericos, maxime recentissimum Hoffmannum, Archiatrum Magdeburgensem, qui omnes Clarissimum simul venerant: Zwelferum: Tu, una ex Apuliâ musca, non perdes suavitatem odoris & olei. *Communis opinio, D. Schmuzen, vim legis obtinet;* juxta quam D. Zwelferus Vir sapiens est, Reformator vester, & Pædagogus Augustanus, jam undique præscripsit digna omnibus volumina; tibi verò necessaria lectu & meditatione. Elogia autem ejusmodi, & festiva præconia, Viris literatis deferuntur & inscribuntur, in redhostimentum & præmium virtutis, ut hoc velut illicio ad publicum emolumentum

mentum calamos erigant & alii, & audeant in arduis probi æmulatores. Noverca enim foret natura, si aut culpa formidinem, aut virtus præmium non haberet: his ad studium bonarum artium provocamur. Non igitur semper aberrat fama; aliquando & eligit. Vox populi, decreta Deorum. Talem igitur credamus fuisse D. Zwelferum, qualem tam constans sapientum opinio, impressis testimoniis, ac vivâ etiamnum voce deprædicat. *Sorte e-*

*Libro 4.
Histor.*

nim & urnâ, ut pulchrè, more suo, Tacitus, *mores non disceruntur; suffragia & existimatio senatûs reperta sunt, ut cujusque vitam & famam penetrarent*, quanquam nec face, laudisvé splendore alienæ indigus sit Zwelferus; cui tam illustris præclarè gestorum Sol per omnem vitam resplenduit.

Nunc reliquas impertinentias, probrosa commata, & insanas invectivas, in unum conjiciam cumulum: demiranda profectò in cano sene tam juvenilis scribendi temeritas. *Pagina 30. hæc leguntur: Cum in Vngaria nuper fortas-*

C 3

sis

sis Medicum ageres, & cum lixis &
 scurris castra sequebaris, feбри ipse
 ungaricâ & delirâ correptus, ve-
 nesectionem, & per vericolosam
 sanguinis transfusionē celebrares,
 à Gallis & Anglis persuasus, per-
 missis sanguinis uncis duodecim,
 qui a cunabulis tuis, in & ab u-
 tero materno, heretidate postlimi-
 nia Hirschaviensi contagione stul-
 titiae infectus, dein successu tempo-
 ris, officii tui carbonarii & fuligino-
 si ministerio combustus funditus,
 etc. per errorem grassum contigit,
 ut tantundem ab incisâ unius for-
 mati stulti, vel rabiosi & scabiosi
 canis, vel stolidi Asini, arteriâ, vel
 venâ sanguinis transfusum, &c.
 Immortalem DEUM! Quid prostitutum
 magis concipi, ne dicam perscribi possit?
 Quid mediastino, aut mastigiarum pessimo
 obji-

objici? Quis etiam Cynicus, & patientiam professus, à repuerascente hocce senescione ejusmodi methaphoras & fatuitates sterili silentio excipiat ac prætereat? Falsum est primò, D. Zwelferum castra Ungarica unquam secutum: in Ungariam, & Jaurinum bis evocatus est ad Illustrissimum Comitem de Mansfeld, gloriosæ memoriæ, & Illustrissimum & Excellentissimum Heroëm, Comitem de Montecuculi, ubique felix Medicus; & elucet, D. Zwelferum plures restituisse Magnates, quàm tibi lixas & calones committere licet. Immanis tolerantia est in Celsissimo Principe tuo, quòd tam illoto ori, & labiis non circumcisus, Aulâ suâ non interdicat. Cæterùm, qualis in D. Zwelfero sanguis fuerit, præclara ipsius gesta remonstrant. Hoc unum indubitatum manet, quòd D. Zwelferus tibi, & Collegis, dexterrimè venam frontis incidere, & stultam plethorâ notabiliter correxerit; ut autem uberiùs flueret, impetum fecit, deditque errhina, indito naribus helleboro, quem etiamnum olfacitis: profit, conducat, Domini phlebotomi.

Pagina 21. contra Syntaxin peccavit Zwelferus, & rudimenta Grammatica. Inquiris deinde à nobis: Nos cujus Numeri? Tu, mi Schmuzen, non peccasti

in Syntaxin, sed malè à te vapulavit Pri-
 scianus. Lege Apologiam tuam, errorum
 sentinam, *fol. 3. Pagina 21. 25. 28. 26. 30.*
31. Imò quot paginæ, tot turpes lapsûs
 & vitia. De numeris autem noli institu-
 ere quæstionem: fat tibi fit, quòd ex om-
 nibus numeris fatalis fuerit duodecimus,
 & primus ex numeris, quem notabunt
 Augustani. Interim Nos, pluralis nume-
 ri, sumus sinceri Zwelferi amici, & stamus
 contra Vos, singularem illum Schmuzium.
 Clepsydra effluxit, D Shmuzen; hora
 est, Domine; propero ad ultimam quæ-
 stionem, nimirum de Chimix & artis Her-
 meticæ Majestate, quam tu, Doctor Schmu-
 zen, veteratorum more homo alioquin
 simplex, & curialis Medicus, qui præ stu-
 pore, & si velle adjiceret, posse, & vires
 nocendi non haberet, magnâ orexi, minùs
 tamen frugaliter, protrivisti.

Pagina igitur 36. sic intonas: *Salus*
 fermè dixissem salix, ex inimicis nostris,
 (*ut antesignanus tuus Paracelsus*)
 Nunquid hæc post helleborum? Pag. 24.
 reverberationes, fixationes, calcinatio-
 nes (nomina tibi peregrina & hierogly-
 phica) derides. *Fol. 18. Coryphæi*
sui, suorumque Theophrasti Para-
celsi

celsi (impia & destande memoria)
in epitaphio saepius & cum piis
(scilicet) suspiriis & lacrymis ru-
minat, taurus &c. Recede à Para-
 cello, D. Schmuzen: tanti Viri aut te ex-
 cæcabit splendor, aut arcanorum demerget
 profundum, aut in furnum ibis Philoso-
 phicum, & suffocabit te alkahest Paracel-
 si. Non sustinet simplices Unguentarios
 sacer Hermes. Magna est Paracelsi
 (Zwelferi, & Hermeticorum) gloria, quæ
 nullis laudibus crescit, nec vituperatione
 minuitur. Deprecare potius ab Elia Ar-
 tista lucidum Theophrasti spiritum, ut te
 contingat sociari Adeptis. Sed serò ni-
 mis, Fasellum jam neglexisti, quo solent
 adire Corinthum. Quibus jam tecum
 certabo terminis; cùm prima Hermetico-
 rum theoremata, & artis ignores terminos,
 D. Schmuzen? Quibus tamen non ob-
 stantibus quàm impia audes, *pagina 15?*
Si modò mihi in Chymicam & Spagy-
ricam tuam, de bacchari integrum
esset, immanissima & periculosissi-
ma Tibi & aliis, carnificina & mor-

C 5
ti

tis propinarē philtrea, amulata SpagyricoChymica, quæ, ut perniciosissima vitæ & salutis humane pestis, unâ cum veneficis sceleratissima medea poculis, Architricliis, Archimagiris, Cocis, recocis, lixis, carbonariis, ignivomisque Ministris, ad Plutonis Tartara ipsa releganda probarem. Festina lentè, decrepitate, multa in te pruriunt, Philosophe. Tu remonstrare cupis, fulgentissimam artium, Chymiam, humani generis esse internecinium: quæ tamen sola fulcrum est Medicorum, asylum Medentium, & sacra anchora ad exterminium usque langventium. Quam suscepisti in te provinciam, D. Schmuzen? Hominis ignavi, Idiote, Thrasonis, qui carpunt, quod non capiunt. Agyrta quosdam, Stentores, Circulatores, & Histrionum fæces, conspiciere licuit, qui Spagyricos sudores, arsenicales fumos, & carbonum fucum pertæsi, hanc artium facile principem neglexere, & prevære; Medicum Dogmaticum, & cujusdam excellentiæ Practicum, neutiquam conspiciere licuit:

35
licuit: superstitiosè nimis Galenum tuum
recolis. Quas, boni Superi! propinabis
offas & liquamina Ægris tuis, mi Schmu-
zen: quàm rancida, quàm malè condita?
Quàm curtã oportet esse supellectilem La-
boratorii tui? Patella unica, cucurbita,
& cribrum, omnibus deserviunt processi-
bus; ac elaborant arcana. Quid agis?
Quid moliris in contubernio sapientum
Spagyricorum, mensæ accubus Philoso-
phicæ, D. Schmuzen? Obmutescis, & ta-
ces, quæ nescis, & familiarem præstolaris
discursum de Lingventis, elixandis Juscu-
lis, miscendo Melle & Pulvere, & Ene-
mate, quo succurras posteritati. Proh
pudor! in tam experto Archiatro, Viro-
que senio & annis confecto, supinam a-
deò irrupisse desidiam, & ea decrepitum
ignorare, quæ humanâ fragilitate ævo no-
stro jam tyronibus memoriã excidêre.
Quàm sapienter Aristoteles, *lib. Ethic.*
distinguit inter senem mente, & mento!
Mento senuisti; mentem geris juvenilem
tyronis, etiamnum Chymicis rudimentis
turpiter instituendi. Patienter igitur
me sustine, Tyro, & de Chymicæ prælimi-
naribus succinctissimè dissertantem pati-
enter sustine, & auriculam præbeto. Scri-
be igitur Majusculis.

LE-

LECTIO PROOEMIALIS,
De Chymixæ Maje-
itate.

Quicumque primus humano generi contulit Medicos, fuit Altissimus, a quo Gentilis olim desciscens Græcia, superstitiosè nimis Æsculapios suos cum Hippocrate recolens, Colossos illis insanæ molis erexit, & Pyramides; adeò quidem, ut, quotquot felices numeraret Medicos, totidem veneraretur ac crederet Deastra. Processit superstitio, & ut olim Jovi de humanâ progenie sociavit Junonem; sic Æsculapio augustum quæsiere connubium, cui CHYMIAM, unicam HERMETIS filiam, pronubo Mesarino Rege, Chami filio, maritârunt. Nec latuit, jam ante annos mille, hoc connubium Gebrum, Mesuen, Balcasin, Rhasem, & innumeros cum Phœnicibus Arabes, qui felicissimis sponsis dulcissima obtulere epithalamia: tunc enim ad cytharam canebatur. Et hæc est illa CHYMIA, quam alteram Pandoram venerata Antiquitas; quæ in tantum Deos æmulata, ut

ut, quidquid illi de absolutâ potentia in natura & macrocosmo producerent, hoc illa per artem feliciter æmulata, analogos produceret effectûs, & omnipotentiam quandam tribueret mortalibus. Benignissima hæc Regina humanum genus in abdita naturæ penetralia imperterritâ manu duxit, vestes & repagula reseravit, in obscurissimis divinam quandam lucem revelavit, rerum omnium ostendit geneses, nihil denique non nudum & conspicuum esse voluit mortalibus. Vidit hæc in Geocosmo, quoniam natura in obscurissimis & profundis terræ recessibus ac latibulis arcana excitavit pyrophyllacia, sinuosos anfractûs, omni mineralium penu refertos; in quibus indes beneficio latitantis igniculi fermentat, digerit, calcinat, solvit, coagulat, figit, sublimat, præcipitat, ut pro seminis dispositione quædam perfectissima producat corpora, minus perfecta recondat, impurissima segreget: vidit harmonicum concentum supremarum lationum, cum intimis terræ visceribus, & quandam per cæcos terræ meatus, & arcana spiracula symbolizationem; & ipsa sagacissima Regina ad analogiam naturæ artificialia crexit pyreteria, in quorum veluti gremio & sinu non tantum

tium

tum mineralium, & vegetabilium, sed & animalium corpora in prima resolvebat principia, purum ab impuro separabat; amica inter homogenea instituit connubia, amplexus & unitates; divortia e contra inter heterogenea, utpote à quibus dualitates, maliq̄ue credebantur effectus: alia solvebat, quædam concentrabat & coagulabat, digerebat cruda, digesta figebat; alia sublimabat. Sic autem procedebant labores in terris, ut irretortum oculum haberet defixum in astris, quorum benignissimo aspectu suos voluit secundari effectus. Communia hæc erant; ad sublimiora gloriosi (licet muliebres) provehebant ausus. Scrutabatur illa harmonicum sympathicæ naturæ in terris magnetismum, spiritualem illum ac invisibilem, realem tamen contractum; unde ad prodigiosos devenit effectus, quos ipsa thavmaturga natura in tanta obstupuit artifice. Non jam illa communibus nitabatur elementis, ignes sibi Promethei, flammam suscitavit Ætnæ, quibus simul corrumpere & generare, putrefaceret & perficeret, construeret & destrueret, funderet & glaciaret. Scaturiebant illi liquores sicci, & aqua manibus non madefaciens; fodiebatur terra Adamica, cuncta in se complectens elementa.

ta,

ta. Aërem sustinebat nemo, solæ vive-
 bant volucres Hermetis. Non conten-
 ta illa Sole nostro & auro, flammeum il-
 lud rubrumque adinvenit: non frigido
 illo, humido, pallidoque Mercurio, ru-
 beum, calidum, humidumque eruit. Non
 Saturnum complexione frigidum & sic-
 cum elegit, sed illum, quem Philosopho-
 rum nominabat, Magnesium illam, de
 qua extrahebat Mercurium vegetabi-
 lem vivum, plurimorum arcanorum ba-
 sin. Vilem illam sulphuris glebam re-
 pudiabat, & in igne sulphuris operaba-
 tur. Volumina ederem, si cuncta ad-
 ducerem prodigia, quæ sapientissima
 Hermetis filia effecerat; si thesauros na-
 turæ enumerarem, qui in sinum Reginae
 depositi; si gratias & dona, quæ fragi-
 lissimo humano generi munificentissi-
 mē contulit, cui vitam aut tribuit, aut
 produxit in ævum. Verum ut semper
 virtus, in altis conspicua, vel amato-
 res habet, vel imitatores quosdam ad-
 miratione attonitos; urbes & orbis ad
 hanc effundebantur, omnes rapiebant no-
 va prodigia, innumeri illius se addixere
 servitiis, & subdidere disciplinis: qui,
 discere cupidi, & experiri, in tres divisi
 erant classes: Quidam toti ab ore pen-
 debant Reginae, mansueti, humiles, nul-
 los

los pertæsi labores, ad sobrietatem sapi-
 entes; hi in sinu Reginæ fovebantur, &
 pendere ab uberibus visi. Nihil illi non
 hæreditârunt: nam Reginæ dominaban-
 tur affectuosis obsequiis. Hos specia-
 lissimo insignivit caractere, & glorio-
 so etymo vocavit Philosophos: expe-
 diebatur his lingua, acuebatur mens, &
 cunctæ prosperabantur actiones, adeo,
 ut in illis ipsa sibi festiviùs complaceret
 Regina, & inter benignos complexûs e-
 os alloqueretur: O verè vos soli estis ho-
 mines, & nobiles profapiæ! Singulo-
 rum autem signaverat nomina, quæ cu-
 riosior quidam, nescio quo caduceato-
 re, secretissimum penetrans archivum
 revelabat. Legebatur autem Hermes
 aureis literis (forfan quia de profapiâ)
 argenteis Paracelsus, roseis, ac velut
 ostro, Basilius Valentinus, Villa nova-
 nus, Porta, Albertus magnus, Palmari-
 us, Rupescissa, Lanfrancus, Isaacus Hol-
 landus, Trebelius, Zwingerus, Crolli-
 us, Beguinus, & sine numero alii. Ve-
 tustissimorum autem insignia alius con-
 tinuerat liber, caracteribus quoque an-
 tiquitatem prædentibus. Unicum Re-
 centiorum nondum absolverat nomen
 (ad majora evocata) quod, Smaragdi-
 no

no exaratum liquore, sic legebatur :
Z W E L F E R.

Altera, quæ accurrebat, hominum classis propediem à Regina fuit manumissa. Erant homines elati supercilii, multiplicabantur & nocte, ut fungi. Nondum florêre, & sematuros arbitrabantur; docebant, necdum elementis perceptis, seditiosum hominum genus, rapax & audax. Non illi proximo, sed Mammonæ serviebant; non remedia, sed media & monetam quærebant: cunctos Reginae sophisticabantur labores, aurum depeculabantur & argentum, totidem harpijæ, parasiti, circulatores, blaterones, montes auriferos promittentes, & aurum hominibus mendaci lingua multiplicantes. Sollicitabatur indies querelis Regina; quarum pertæsa, plurimis oculos erui voluit. Vidi adhuc de eorum profapiâ, nostro sæculo, vili sordidatos palliastro stipem petere, & ab illis drachmam mendicare, quibus olim talenta promittebant.

Tertia classis duo continebat hominum genera: Mollissimos quosdam; stolidissimos alios. Primi chirothecati veniebant, calamistrati, sindone, velut

D

nive,

nive, candidissimi (O malos Chymia
 Candidatos !) Hos nigerrimæ afflige-
 bant atomi, in laboratoriis undique ob-
 volantes; feriebant nares gradantium &
 arsenicalium aquarum fumi, & narcosi
 quâdam tangebant; æstum non fere-
 bant, Etesis assueti. Hos ad vicinum
 remisit Gynæcéum, fusóq; & colo adjudi-
 cavit. In tertio hominum genere sibi
 complacuit Spagyry (hunc cunctis o-
 peris præfecerat Regina) Erant enim
 Ribaldi, homines lacertosi; alii com-
 pacti, & ventripotentes. His prima &
 arcana tradidit rerum nomina, & pere-
 grinos artis terminos, vt possent sapien-
 tibus loqui, & alloquentibus obsequi: illi
 interim histeron loquebantur & prote-
 ron, Athenorem vocabant acerram; in
 balnea maris, cados; cupellas, scutellas; in
 pellicanos, acetaria; tigillos, ollas; adeò,
 ut desperaret Spagyry, & novam crede-
 ret se inhabitare Babylonem. Homi-
 nes erant voraces, Schmuzidi, & turpes, b
 hauriebant ex cucurbitis; in frixoriis & h
 patellis clandestina parabant jentacula, &
 temulenti semper & stupidi, quidquid f
 tangebant, frangebant; ipsi nequitiarum
 omnium capacissimi Recipientes, ad nul-
 lum

lum poterant institui moderamen, ad
 pyrotechniam stolidissimi: quæ jube-
 bantur in digestionem collocare, rever-
 berabant; quæ fundere, calcinabant;
 quæ sublimare, in terram præcipitabant
 & deturbabant, homines semper un-
 cti, luridi, Schmuzidi, malè pectinati,
 pessimè compti. Hos tandem & ipsos
 exulare fecit stupores, & dum vectem
 januæ ac laboratorio induceret Spagy-
 rus, morosius secum mumurabat: ad
 stivam, ad dentale, & flagellum trito-
 rum, ad haras & stabula vobiscum, ibi
 Rüh: Mitigate. Non aberrarunt
 Antiqui nostri, quoniam non ex o-
 mni ligno fit Mercurius: sic janua claude-
 batur. Hæc fex hominum in latum de-
 inde propagata: quosdam vidi ad av-
 tomata; ad remos & antlias alios;
 capaciores illorum, qui per cribrum a-
 liquid à Magistro hauserant, plebem &
 villas curabant, totidem Doctores, lege-
 bant herbas, coquebant & siccabant;
 helleborum noverant & esulam, quin
 & betam, maximè mercurialem, quâ sibi
 sustentationem pollicebantur. His, quin
 & unguentis vivebant arcanis; interim
 pertinacis, ut ante semper, genii plura
 D 2 discere

discere detrectabant, ibant quò quibant,
 Joannes idem semper concinentes, sic
 consenuère. Satis: ad explicationem
 venio: hanc ubi bene callueris lectio-
 nem, quin ruminaveris, D. Schmuzen,
 ad sublimiora gradum faciemus. Quòd
 hætenus Chymicos spreveris, non suc-
 censeo amplius: ignoti nulla cupido:
 hæc ultimæ classis hominibus congenita
 est imbecillitas. Finem facio, & plura
 non explico; cum tota hætenus Apolo-
 gia Zwelferi dici mereatur tibi expli-
 catio. Vale, D. Schmuzen, & saniora,
 doctiora, salvo conscientia jure, proxi-
 mi amore, arbitratorum ædificatione,
 Christiana & Philosophica, cano & ex-
 perto digna Archiatro, deinceps scribi-
 to & meditator; & tibi mitissimè, amicè,
 pro posse, doctè & Philosophicè respon-
 debitur; quin applaudemus omnes cor-
 dialissimis affectibus. Non te terreat
 Umbra Zwelferiana; ipse se tibi & Eu-
 ropæ (si dederint Superi) revelabit ali-
 quando lucidus & Redivivus: Vive.

Sed regredi cogor: pace tuâ, D.
 Schmuzen, unicam solamque Philoso-
 pho & Medico dignam attigisti quæstio-
 nem, in universâ Apologiâ tuâ, quam
 præte-

præterire nolo, quin respondeam.
 Fuit lis sub iudice tibi & Zwelfero: tu
 asseruisti, quòd destillaveris Caroloba-
 denses, & repereris Nitri Unc. X. s.
 Squam. ferri unc. viij. Alumin. unc. iiij.
 Sal. nitr. unc. iiij. Vitriol. unc. iijß. Stib.
 unc. ijß. Bitum. unc. ij. Sulph. unc. i.
 D. Zwelferus reprehendit te bifariam:
 Primò, quòd palpabiliter mentitus sis.
 Massam enim, quam distillabas, recen-
 suisti, tres dedisse libras; mineralia autè,
 post distillationem residua, plus quàm
 tres libras pendebant: quod implicat in
 terminis. Secundò negavit, mineralia
 realiter & sensibilibus in tantum consti-
 tuere aquas medicatas, ut distingvi, di-
 vidi, ponderari se patiantur: huic in
 præsentì Apologiâ sequentibus contra-
 riaris, pag. 33. *Negat ex merâ invidiâ,
 vel crassâ ignorantia, lucidas &
 tangibiles experientias, cum malitiose
 contradicat, quòd aquis medicatis,
 Acidulis & Thermis, entitative, mate-
 rialiter & corporatura sua, metalla
 & mineralia, non sint, easque consti-
 tuant, o rude rudens & blasphemum
 Myde animal! si sulphur vivum desi-
 deras*

deras ? Thermas badenas prope Vien-
nam Austria adi &c. Manumissis &
 neglectis scōmatibus tuis, cū sit quæ-
 stio Philosopho digna & Chymico (u-
 tinam plures dedisses, & scivisses) re-
 spondeo, quòd sententia D. Zwelferi
 sit verissima: quam sic confirmo & pro-
 bo:

Certum est primò, cuncta minerá-
 lia, & corpora subterranea, habere con-
 genitam sibi aciditatem, à sulphureo
 spiritu illis impressam; quæ aciditatis
 vis basis est omnium Acidularum. Con-
 stat ulterius, subterranea quævis comi-
 tari salsuginem quandam propriam ter-
 ræ. Terræ enim elementum aliud non
 est, quàm purissima salis substantia, per
 telluris viscera dispersa, fundamentum
 & mater omnium mixtionum. Clarum
 est, tertio, in penetrabilibus terræ abun-
 dare pinguedinem quandam (patet ex
 destillatione terræ simplicis per retor-
 tam) & sulphur, in quòd subterraneus a-
 git ignis, utpote alimentum. Thermæ
 igitur, & Acidulæ, aliud non sunt, quàm
 tincturæ quædam, mineralium referen-
 tes indolem & qualitates. Dum enim
 aquæ, impressa sibi naturali sulphureâ
 acidi-

aciditate & falsedine, cæcos terræ meatus, omni mineralium penu refertos, alluunt permeantque, tinguntur, & vi mineralium imbuuntur, ac, pro miscellâ peregrinorum salium, agunt, reagunt, effervescent, ac corpuscula quædam abradunt mineralium, quæ sensibilibus, sed inseparabiliter, aquas medicatas comitantur; unde duplex resultat mixtio: imperfecta quædam, in quibus confusa mixtio, & ejusmodi corpuscula insunt: altera perfecta mixtio, ubi singulis particulis aquæ portio spirituosæ substantiæ mineralium intimè unitur, ac unam substantiam ac formam efficit. Negavit igitur felicitis memoriæ D. Zwelferus, Carolobadensibus Thermis (idem de aliis statuit) sic inesse mineralia, ut à substantiâ Thermarum forma ac esse separari, dividi, & (quod magis ridiculum) ponderari possint. Nam nemo sensatus Philosophus unquam statuit, Thermis æratis, v. g. ferratis, stanneis, aut plumbeis (quibus maximè Lotharingia abundat, ac morbi curantur Saturnini) ipsum Martem, aut Saturnum, in substantia inesse, sed vim illis spirituosam insitamque communicatam fuisse. Et

quando Chymici solertiōres ejusmodi medicatas aquas sagaciū explorant, & ut nobis notiores assumam, Piperinas, aureo-sulphureo-ferreo-nitrosas, seu Casteinenses, auro, sale nitro, & ære constantes, Thermas præstantissimas, catholicè medentes, sterilibus præcipuè, aut Carolobadenses sulphureo-aluminosas, aut, quas allegasti, Viennenses Badenses sulphureo-nitro-aluminosas, si-ve experiantur coctione, inspissatione, evaporatione, ac destillatione, demum in laminam extensione ferream, ubi, beneficio ignis subjecti, in laminâ quædam se produnt mineralium vestigia, utpote foetore sulphur, sal & nitrum scintillando, & quidem sal crepitando; lacteum liquorem alumen fundit, Saturnus minii dat vestigia, gypsus albedinem quandam incombustibilem reservat: & sic de cæteris: si-ve (quod dexteriùs) affusâ aquâ causticâ, sedimento Thermarum evaporato, statim prodibit metallicæ tincturæ vestigiū, & de-super concreset aut ferrugo, aut, si constet ære, ærugo, aurugo &c. Atque adeò ex ipsis recrementis mineralium, aut scoriis, deducimur in cognitionem
lati-

latitantis substantiæ, ac impressionis metallicæ: nemo autem eruet substantiam metallorum, dividet, & quod licentiosum magis, ponderabit. Reperiri autem quandoq; portionem ramentorum auri, & aliorum mineralium, non negârim: sed hæ unitæ non fuêre; & patet vel maximè in fluminibus auriferis, & auro fluviatili. Alia nunc est quæstio de aquis, uno solo minerali imbutis; ut salina, de qua inspissatur ac coquitur sal; & sulphureis, fæculento illo, grosso, unctioso adustibili, imperfectissimo sulphure constantibus; in quibus impropiè mixtio intercedit; aut solutiones potiùs sunt; unde faciliè, evaporato liquore, in primum ens & substantiam reduci possunt; ut docet quotidiana experientia, quam nemo sapiens negârit. Et hæc obiter, ac mechanicè potiùs, quàm Chymicè remonstrata, tibi ad captû sufficiant, D. Schmuzen. Vive, vale, me ama, & Zwelferum æstima. Ad cujus vicinissimum monumentum mecum ut digrediaris, humanissimè invito: nescio, quid candido marmori, characteribus ære perennioribus, inscripserit candidissima amicitia.

D S

DIS.

50
DIS. MANIBUS:

JOANNES ZWELFERUS,

Vir omnibus numeris absolutus,

Sapientum optimus,

Optimorum sapientissimus,

hic situs est,

Natione Palatinus.

*Obscurum hoc Libitina delegit palatium:
forsan*

ut cum Comete, noctis caligine,

Virtutum jubar vibraret ardentius.

Verum

ex angusto tumulo

Augusta surgit Palmarum seges,

Virtutis & Sapientiae.

Fuit

Professione Medicus, arte Chymicus,

natura Philosophus,

Vir sapientia natus;

hunc omnibus notus:

Facundus ore,

fecundus calamo, magnus consilio:

Multa sapienter scripsit,

majora scribenda egit.

Augu-

*Augusta Vindelicorum Dispensatorium edidit,
quod ab erroribus dexterè vindicavit;*

hinc nihil tam augustum,

quod suas non patiatur angustias.

Novam Regibus erexit Pharmacopœiam,

& inde vitam tribuit Caesaribus,

Nobilis Medicus,

cui vitam tot credidère Magnates,

Hermeticorum

novum sydus, Zuvelferus,

eunctas in se concitavit noctuas,

quas Athena alunt.

Italia, Gallia, Germania subornavit amulos,

cacutientes ad meridiem, malè oculis,

sed pejus moribus valentes.

Attamen

Diuturna nunquam fuit

sceleribus parta victoria;

nec proprios diu sustinuit stimulos

cauteriata conscientia:

hos homines siquidem unus

stylo feliciter confodit Zuvelferus;

Virtute siquidem; non numero pugnant viri.

Multa in hunc Medicum

stipen-

Stipendia contulere Charites.

*Plus, quàm Levita,
omnibus affudit olei,*

*Et, quas Galenus dedit, opes
erogavit pauperibus.*

Nulli injurius, nisi sibi:

*quam aliis imperavit quietem,
sibi invidit,*

ad Cleanthis lucernam semper vigil.

Sic tamen administravit publica,

ut privata fortuna censum non negligeret.

Exstructis Vienna magnificâ a dilitate aedibus,

fecundus prole, plenus benedictione,

praeclarè gestis, posteritati se commendavit,

velut actiuo elogio.

Nihil denique in hoc Viro mediocre,

praeter staturam, fuit;

mediocri in corpore

magnum circumtulit animum.

DIVâ Morit Vr pLenVs Charitate,

fractus viribus, non animo:

Quinquaginta annos vix expleverat,

saeculo virtute par,

immaturo elatus funere,

omni-

omnium comitantibus affectibus.

*Dolendum, tam citò vixisse,
cujus sapientia & experimento
ævum debebatur!*

*Universa illi luctu parentavit Vienna,
tot vivis erectis tumulis,
quot numerat amicos.*

*Vixisti Zuvelfere, vivis etiamnum
immortalis famâ.*

*Nos te lugemus,
æternum tu Paana frequentas.*



Pharmazie 600

